De Sermonis Cotidiani
Formulis Quibusvom
Veterum Romanorum

DE SERMONIS COTIDIANI FORMULIS QUIBUSDAM VETERUM ROMANORUM

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE IMPETRANDOS
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI
LITTERARUM UNIVERSITATIS
FRIDERICO-ALEXANDRINAE ERLANGENSIS

OBTULIT

JOANNES PREIBISCH
OHLAVIENSIS

EXAMEN RIGOROSUM HABITUM EST:
A. D. X. KAL. SEXT.

HALIS SAXONUM
FORMIS DESCRIPSIT EHRHARDT KARRAS
MCMVIII

PATRIS OPTIMI MANIBUS.

Cum in animo esset de formulis sermonis cotidiani veterum Romanorum disserere, facere non potuimus, quin, quibus *fontibus* potissimum animum intenderemus, nobiscum reputaremus. Etenim quamvis neminem, qui Latinis verbis scripserit, plane neglegendum nobis persuasum esset, tamen hoc luce clarius est visum non omnes ad hanc rem perscrutandam aequi esse momenti. Nam primum quidem nonnulla genera scribendi a sermone cotidiano prope aliena sunt, tum singuli, qui unumquodque genus coluerunt, sermonis cotidiani formulis impari modo sunt usi.

Nihilosetius prorsus dicere licet familiari quodam sermone maxime uti *comoediam*, paullo minus poesin satiricam. Quare nemo mirabitur in hac dissertatione Plauti Terentique exempla frequentia longe superare ceteros qui afferuntur. Sed inter hos ipsos poetas multum interest. Terentius plerumque Graecorum fabulas satis accurate imitatus esse videtur; 'Plautus allein' ut Skutschii [1]) praeclaris verbis utar, 'führt uns den Durchschnittsrömer vor, redend wie ihm der Schnabel gewachsen ist; seine Verse spiegeln im ganzen das lebendige Latein in seiner Betonung, im Klange einzelner Worte und ganzer Sätze, im Wortlaut der üblichen Formeln für 'Guten Tag! Wie geht's?' usw. und, was mehr ist, in seiner gesamten Ausdrucksfähigkeit aufs treueste wieder.'

Inter *poetas satiricos* praeter Lucilium, cuius ipsa fragmenta quantopere familiari sermone usus sit docent, primum obtinet locum Horatius, secundum Petronius. Perpauca attribuerunt Varro in fragmentis saturae Menippeae, Seneca in

---

[1]) Kultur der Gegenwart I, 8: Die griech. u. latein. Literatur und Sprache, p. 427.

Apocolocyntosi; nihil fere debemus Persio et Iuvenali poetis, qui minus sermonem cotidianum quam eloquentiam rhetorum imitari studebant.

Tum ad *epistulas* studium contulimus, cum inter omnes constet eos, qui familiares ac privatas epistulas scripserunt, in verbis dicendis struendis collocandis quam proxime ad genus dicendi familiare accessisse. Itaque inquisivimus epistulas Plinii et Ciceronis, qui praecipue in epistulis 'ad familiares' missis persaepe sermone familiari usus est. Neque ipsum hoc ignorasse apparet ex epist. ad fam. IX, 21, 1: Verumtamen quid tibi ego videor in epistulis? nonne plebeio sermone agere tecum? . . . epistulas cotidianis verbis texere solemus.

Fontibus expositis, e quibus potissimum hausimus, nunc *studia virorum doctorum* afferamus, quae nos in hac dissertatione conscribenda adiuverunt. — Optimum auctorem habemus Donatum, qui in scholiis ad Terentii fabulas scriptis in formulas sermonis cotidiani diligenter animum intendit. Multi alii scriptores et Graeci et Romani, quos infra nominabimus, occasione data animos ad eas adverterunt. Sed nostris saeculis haec studia paene oblivione obruta erant. Etenim postquam Barnabas Brissonius in clarissimo illo libro, quem scripsit 'De formulis et sollemnibus populi Romani verbis' (Francofurti 1592) ad has quoque formulas nonnunquam obiter respexit, perpauci viri docti in talia inquisiverunt. Nam praeter ea, quae editores et commentatores scriptorum Romanorum ad singulos locos adnotaverunt, haec tantum commemoranda sunt: Jo. Jac. Claudii dissertatio de salutationibus (Ultraiecti 1702) et Mart. Schaberi liber, quem scripsit 'De ritibus salutandi apud veteres Romanos' (Rastadi 1858). Sed etiam Claudius et Schaber, quamvis nihil nisi salutandi formulas exponere conati sint, tamen rem minime absolverunt, et studium formularum iterum per dimidium fere saeculum iacebat, donec anno 1893 Joannis Bablii dissertatio Erlangensis, quam scripsit 'De epistularum latinarum formulis' (Bambergae 1893), edita est. Nam praeterquam quod ille vir doctus recte suspicatus est multas formulas epistularum e sermone cotidiano originem trahere, id quoque ostendit, quid formulae sint et quomodo optime de iis disputari possit.

Bablii igitur vestigia secuti in formulas sermonis cotidiani inquirere suscepimus ita, ut primum formulae salutandi, deinde valedicendi, postremo reliquae, quas nomine 'elegantes locutiones' complexi sumus, explicentur.[1])

---

[1]) In versibus numerandis has editiones secutus sum: Plauti comoediae, rec. et emend. Frid. Leo; Terenti comoediae, rec. C. Dziatzko; Lucilii carminum reliquiae, rec. Frid. Marx; Horatii carmina, rec. Frid. Vollmer; Persii saturae, ed. Otto Jahn; Iuvenalis saturae, ed. Lud. Friedlaender; Petronii saturae, quartum ed. Franc. Buecheler; Martialis epigrammaton libri, ed. Lud. Friedlaender; Ciceronis scripta quae manserunt omnia, rec. C. F. W. Mueller; Plinii epistulae, rec. Henr. Keil.

Pars prima.

De salutandi formulis.

I. De appellatione et nominibus in appellando usurpatis.

Cum inter omnes constet quibusdam gentibus huius aetatis, imprimis Francogallis, morem esse firmum et constitutum, ut singulos nomine proprio vel nominatim salutent, nos quoque, quatenus apud Romanos hic mos valuerit, non inquirere non possumus.

Ac primum quidem 'quosdam *nomine* consalutare religiosius putavisse' non modo Plinius in Hist. Natur. (XXVIII, 23) memoriae tradidit, sed etiam e salutationibus ipsis, quae in epistulis saturis comoediis exstant, facile intellegitur. Quid quod Plinius (Panegyr. 13, 15), Sallustius (Catil. 59), Tacitus (Histor. I, 23) Romanorum viros illustres et nobiles hac ambitione se plebi et militibus commendavisse narrant. Satis habebimus duo exempla affere: Apud Petronium in sat. 44 Safinius ille laudatur his verbis: Et quam benignus resalutare, nomina omnium reddere tamquam unus de nobis? Et Suetonius in vita Augusti 53 memoriae tradidit imperatorem in senatu singulos patres nullo nomenclatore submonente salutasse.

Saepe pronomen possessivum nomini adicitur. Haec pronomina ad necessitudinem et familiaritatem significandam permultum valere demonstrat Cic. epist. ad fam. XVI, 18, 1: Quid igitur? Non sic oportet? Equidem censeo sic: addendum etiam 'suo'. — Accuratius his de rebus disputavit Joh. Babl, l. l. p. 20—22.

Constat igitur Romanos haud ignorasse salutationibus permultum et amoris et familiaritatis accedere, si quis alterum nomine addito salutaret.

Praeterea *appellativis* utebantur, quae 'inter homines aut sanguine aut amicitia coniunctos nescio quo modo plus honoris prae se ferre quam nomina propria vel privata' Martinus Schaber recte admonet. Eos enim, qui dignitate vel honoribus praeter ceteros florerent, nominibus salutari non esse solitos hi loci satis demonstrant:

Sueton. Vespas. 15: Helvidio Prisco, qui reversum ex Sicilia solus privato nomine Vespasianum resalutaverat, non ante succensuit quam ...

Martial II, 87:

> Quod te nomine iam tuo saluto,
> Quem regem et dominum prius vocabam,
> Ne me dixeris esse contumacem.

Inde orta est consuetudo, ut primum quidem principes et imperatores, deinde, quisquis maiore quadam dignitate ornatus esset, peculiaribus vocibus salutarentur. Sic appellatio 'domine', quae ab Augusto et Tiberio recusata erat,[1] a Domitiano accepta, ab Aureliano ita mutata est, ut 'dominum et deum' se appellari iuberet.

Id quoque fiebat, ut eae appellationes, quae apud principes in usu erant, paullatim ut nostrum 'Herr' in vulgus emanarent,[2] ut illud 'domine', quod ab iis in salutando usurpabatur, qui nomen obviam venientis obliti erant vel nesciebant.[3] Itaque Martialis poeta hominem quendam, ne hac appellatione nimis glorietur, his verbis docet (epigr. II, 57):

> Cum voco te dominum, noli tibi, Cinna, placere:
> Saepe etiam servum sic resaluto tuum.

---

[1]) Tac. Ann II, 87: Neque tamen ob ea parentis patriae delatum et antea vocabulum adsumpsit, acerbeque increpuit eos, qui divinas occupationes ipsumque dominum dixerant; cf. etiam Sueton. Aug. 53. Tiber. 27.

[2]) Exempla v. apud Schabecum l. l. p. 7 adn. 1.

[3]) Aliis locis occurrunt 'adulescens', 'puella', 'quisquis es', id quod iam Brissonius l. l. p. 744 recte commonuit.

Amantes quoque invicem 'dominum' et 'dominam' se appellasse, liberos ergo parentes, clientes ergo patronum his appellationibus usos esse cum alii tum Ludov. Friedlaender in libro, qui inscribitur 'Römische Sittengeschichte', vol. I, p. 395—402 exemplis demonstraverunt.

Sed cum numeri certissimum argumentum sint, 158 salutationibus examinatis repperimus omnibus fere locis aliquam appellationem exsistere. Ubi deest, facile intellegitur, cur omissa sit. Nam primum quidem compluribus locis eius qui salutatur nomen proprium vel privatum aut paullo ante aut brevi post salutationem nominatur, ut Plaut. Epid. 5:

E. Respice vero, Thesprio. — Th. Oh, Epidicumne ego conspicor?
E. Satis recte oculis uteris.
Th. Salve. — E. Di dent, quae velis.

Ter. Adelph. 890:

G. Sed eccum Demeam. salvos sies.

Ter. Adelph. 767:

G. Ecce autem hic adest senex noster. quid fit?

Aliis locis salutatio de industria inhumana est, ut Epid. 548, Most. 998, ubi difficiles senes, vel Rud. 882, ubi inimici his verbis se salutant:

L. Salve. — P. Salutem nil moror: opta ocius:
Rapi te obtorto colle mavis an trahi?

In Pers. 482, ubi servus quidam callidus lenonem salutat, appellatio primum omittitur, deinde additur:

T. Quid agis? — D. Credo. — T. Unde te agis, Dordale?
D. Credo tibi. Di dent quae velis.

Videmus Dordalum, qui salutatur, nomine addito multo humanius respondere.

Constat igitur Romanos quoque in salutando appellationibus esse usos.

II. De salutationis partibus.

Plurimae salutationes Romanorum in tres partes dividuntur: 1. salutationem, 2. resalutationem, 3. interrogandi formulas, quibus plerumque de valetudine quaeritur.

Sed id quoque identidem fit, ut una vel altera pars aut reticeatur aut alio loco ponatur. Velut inter amicos, qui ter et quater inter unum diem sibi occurrerunt, salutatione et resalutatione intermissis tantum interrogandi formulae pronuntiantur. Sed de ea forma, quam quasi πρωτότυπον omnium salutationum esse diximus, nunc paullo accuratius disputemus.

In congressu igitur servi dominos, clientes patronos, cognati cognatos, amici amicos, alii alios ita salutabant, ut ii, qui aetate vel dignitate inferiores essent, priores salutarent. Fieri non potuit, quin contra hanc regulam urbanitatis ab hominibus inhumanis vel superbis peccaretur, id quod Martialis poeta his duobus locis testatur:

III, 95, 1—4:

Nunquam dicis have, sed reddis, Naevole, semper,
Quod prior et corvus dicere saepe solet.
Cur hoc exspectes a me, rogo, Naevole, dicas:
Nam, puto, nec melior, Naevole, nec prior es.

V, 66:

Saepe salutatus nunquam prior ipse salutas:
Sic eris 'aeternum', Pontiliane, 'vale'.

Caelium, Ciceronis amicum, magnopere esse gavisum, quod Caesar ipse prior eum salutaret, haud scio an hic locus ostendat: Cic. epist. ad Att. X, 9 a, 4: Hoc Caesar audierat ac simulatque 'have' mihi dixit, statim, quid de te audisset, exposuit. — Quid quod apud Horatium (epist. I, 7, 64—69) Philippus, vir consularis, illum Menam, hominem rusticum et humilem, 'occupat et salvere iubet prior'. Sed ne Volteius quidem facere potest, quin se excuset, 'quod non providisset eum'.

Quodsi igitur opprobrium erat, si quis 'nunquam prior ipse salutabat', etiam multo inurbanius est visum adsalutantes

non resalutare. Quin etiam is, qui ad hanc insolentiam processit, nulla salute dignus videbatur. Huius quoque rei testimonium debemus Martiali, qui in epigr. IV, 83, 3 hominem quendam superbum hisce verbis vituperat: 'Securus nullum resalutas, despicis omnes'. Neque fugit Donatum, in Adelph. 80 ss.:

M. Salvom te advenire, Demea, gaudemus.
D. Ehem opportune, te ipsum quaerito.

Terentium 'melius quam Menandrum fecisse, quod Demeam ad iurgium promptiorem quam resalutantem fecerit'.

Datam acceptamque salutem sequuntur interrogandi formulae. Quae quam tritae et pervulgatae fuerint, praeter salutationes ipsas optime ostendit Martialis epigr. II, 67:

Occuris quocumque loco mihi, Postume, clamas
Protinus et prima est haec tua vox: Quid agis?
Hoc, si me decies una conveneris hora,
Dicis: habes puto tu, Postume, nil quod agas.

Sed partibus salutationis expositis nunc ad formulas salutationis accedamus.

III. De formulis salutationis.

Praecipue inserviunt salutationi duae formulae: 'ave' et 'salve', quarum utramque pueri norunt. Agedum inquiramus, quibus rebus inter se differant.

Formula '*ave*' originem videtur trahere e lingua palaestrae. Quod demonstrat Martial. epigr. III, 95, 14, quem ad locum Friedlaender adnotavit illud 'vincis have' fortasse acclamationem fuisse. Id eo confirmatur, quod Huebner[1]) in vasculo quodam,[2]) in quo ludi gladiatorii depicti sunt, hanc inscriptionem invenit: Hierax vale, Olympe vale, Antioche vale, Crescens ave. Eam inscriptionem sic interpretatur Cre-

[1]) Monatsber. d. Berl. Akad. 1886, p. 87.
[2]) CIL VII, 1273.

scentem illum alios gladiatores superasse eamque ob rem hac salute 'ave' acclamari. Nescio an alia quoque exempla, quae in Th. L. L. II, p. 1300 sq. afferuntur, ut CIL 3022: ave lud... eodem modo interpretanda sint.

Quo ex usu facile intellegitur, quid formula significet: 'gaude'. Spectatores eos gladiatores, qui aut iam vicerunt aut victuri videntur, admonent, ut victoria sua gaudeant. Itaque Graeci Romanorum salutationem 'ave' per χαίροις exprimere solent.[1])

Controversia est de origine vocis. Putant enim quidam viri docti[2]) formulam esse derivatam ex Punica illa salutatione, quae significat 'vive' cuiusque pluralem numerum 'avo' scriptum videmus apud Plautum in Poen. 994, 998, 1001. Quam coniecturam haud ita magnam speciem probabilitatis habere censeo, etsi concedo in utramque partem disputari posse. Nam cum illis viris doctis formula a verbo 'avere' aliena videatur nullumque exemplum formulae ante Ciceronis tempora exsistat, haud scio an quisquam existimet formulam 'ave' bellis Punicis Romam esse importatam.

Nos tamen tenemus 'ave' esse imperativum verbi avere. Nam quod Paul. ad Fest. 14 adnotat: 'avere nihil aliud est quam cupere, argumento esse avidum et aviditatem, ex quibus praecipue cupiditas intellegitur, cum significet et 'gaudere' — hic ipse locus maxime idoneus est ad sententiam nostram confirmandam. Nam quid melius spectatores certantibus, imprimis autem iis, qui victuri videbantur, acclamare poterant, quam ut simul gaudium et cupidinem vincendi ostenderent.

E palaestra igitur formula 'ave' in vitam cotidianam commigravit et salutatio est facta.

Certant de orthographia viri docti. 'Have' saepius legitur, etiam in titulis, quorum tamen plurimi neque bonae aetatis neque eruditorum hominum sunt. Sed censemus Quintiliano fidem esse habendam, qui Inst. or. I, 6, 21 haec dicit: litteratus sine aspiratione et producta secunda syllaba salutat. — Inde

---

[1]) Hieron. in Math. 16, 11: quod graece dicitur 'χαῖρε' et latine 'ave'. — Alia exempla apud J. J. Claudium l. l. p. 25.

[2]) Th. LL. II, 1300.

apparet apud homines eruditos 'avē' in usu fuisse, cum 'havĕ' sermonis vulgaris esset.[1])

Praeter 'ave' et 'avete', quae formae apud eos scriptores, quas nos accepimus, persaepe exstant, Charisius I, 254, 20 has formas testatur: aveto tu, aveto ille, avere te (vos, illos) volo.

Iam supra id monuimus hanc formulam salutandi a scriptoribus antiquioris aetatis, ut a poetis comicis, nondum usurpari. Antiquissimum exemplum exstat apud Ciceronem in epist. ad fam. VIII, 16, 4: simul atque 'ave' mihi dixit, statim, quid de te audisset, exposuit. — Sed paullatim ita in usum venit, ut Domitiani temporibus ceteras formulas salutationis frequentia longe superaret. Imprimis facta est propria formula salutationis quae vocatur matutinae. Cuius rei testis est Martialis epigr. IV, 68, 3 s.:

> Discurris tota vagus urbe nec ulla cathedra est,
> Cui non mane feras inrequietus ave.

Itaque idem poeta, cum imperativum pro substantivo adhibet, salutationem ipsam 'ave' vocat, ut epigr. I, 35:

> Quisquam picta colit Spartani frigora saxi
> Et matutinum portat ineptus ave.

vel epigr. VII, 39, 1 s.:

> Discursus varios vagumque mane
> Et fastus et Have potentiorum
> Cum perferre patique iam negaret.

Sed apud scriptores priscae latinitatis omnium formularum saepissime occurrit '*salve*'. Quae formula artissime cohaeret cum voce 'salutis', quae ipsa eodem ex fonte prodiit quo Graecorum *σάος*. Ultima syllaba semper producitur, cum imperativus vocis salvere sit, nisi quod apud Martial.

[1]) Ciceronis temporibus apud vulgum cupiditatem aspirandi, ut ita dicam, permagnam fuisse demonstrat Catull. epigr. 84:

> 'Chommoda' dicebat, siquando 'commoda' vellet
> Dicere, et 'insidias' Arrius 'hinsidias'.

Cf. eadem de re Corssen,Ausspr. I, 47 s.; Lindsay 62 s.; Babl. l. l. p. 13.

epigr. XI, 108 codices deteriores, quos Riccardus Bentley secutus est, pro 'solve' exhibent 'salvē'. Nuperrime Hentzius[1]) suspicatus est formulam 'salve' prognatam esse ex eadem origine, qua Graecorum 'οὖλε'[2]) et ipsam quoque esse vocativum (salvē), qui postea ad exemplum aliarum formularum: ave, vale imperativus sit factus. Sed cum omnibus poetarum locis illo uno apud Martialem excepto ultima syllaba producatur, lectionem codicum meliorum 'solve' praeferendam esse censemus.

Quid formula significet, vel ex Lucilii quodam versu (VI, 230) intellegimus:

Salvere iubere salutem est mittere amico.

Salutem igitur, id est praecipue sanitatem, invicem sibi optant consalutantes Romani. Ea igitur ex parte consentit haec formula cum alia quadam, quae valedictionis propria est: 'vale'. Quodsi cum his formulis Graecorum illud χαῖρε comparamus, facere non possumus, quin ex eo quoque Romanorum sobrium animum cognoscamus, quod in bonis rebus invicem sibi optandis magis quam Graeci utilitatem sequebantur. Non male igitur Lucianus in libello, quem dicitur scripsisse de lapsu in salutando c. 5, populares hisce verbis vituperat: ὁ μὲν γὰρ θεσπέσιος Πυθαγόρας οὔτε τὸ χαίρειν οὔτε τὸ εὖ πράττειν προὔγραφεν, ἀλλ' ἀπὸ τοῦ ὑγιαίνειν ἄρχεσθαι ἐκέλευεν. Et eodem in capite laudibus effert illam alteram salutationem Graecorum ὑγίαινε, cum dicit τῷ μὲν ὑγιαίνειν τὸ εὖ πράττειν καὶ τὸ χαίρειν εἶναι, οὔτε δὲ τῷ εὖ πράττειν οὔτε τῷ χαίρειν καὶ τὸ ὑγιαίνειν.

Hanc Graecorum formulam iam Henricus Stephanus[3]) cum salutandi formulis Romanorum comparavit. Res mihi ita se habere videtur: ὑγίαινε primum et salutandi et valedicendi formula erat. Velut apud Aristophan. Ran. 164 valedicendi

[1]) Formen der Begrüssung in den homerischen Gedichten. Philologus N. F. XV, 348 s.

[2]) Cf. Homer, Odyss. ω 402:

οὖλέ τε καὶ μέγα χαῖρε, θεοὶ δέ τοι ὄλβια δοῖεν.

[3]) Thes. ling. graec. vol. VIII, 24.

causa usurpatur. in Alexidis vero fragm. 297 (Kock) eam pro salutandi formula esse habendam manifestum est. Sed postea usus obtinuit, ut accedentes dicerent *χαῖρε*, discedentes *ὑγίαινε*, quam rem demonstrare videtur Plutarchus in libro quem scripsit de garrulitate cap. 11: *ἐλθόντος οὖν ἔωθεν, ὡς εἰώθει, τοῦ Φουλβίου πρὸς αὐτὸν καὶ εἰπόντος· χαῖρε Καῖσαρ — Ὑγίαινε, εἶπε, Φούλβιε· κἀκεῖνος νοήσας ᾤχετο ἀπιὼν οἴκαδε καὶ τὴν γυναῖκα μεταπεμψάμενος· ἔγνωκεν, ἔφη, ὁ Καῖσαρ, ὅτι τὸ ἀπόρρητον οὐκ ἐσιώπησα, καὶ διὰ τοῦτο μέλλω ἀναιρεῖν ἐμαυτόν.* — Quodsi non dubitamus, quin Plutarchus hanc fabulam apud scriptorem Romanum invenerit, tamen eum Romanorum formulam salutandi voce *χαῖρε*, formulam valedicendi voce *ὑγίαινε* expressisse videmus.

Haud ita verisimile est Graecos in usu earum formularum mutando secutos esse exemplum Romanorum, sed certum est Romanorum scriptores nonnumquam Graecorum formulas aperte imitatos esse. Quodsi igitur Horatius in epist. I. 8, 1 amicum his verbis alloquitur:

> Celso gaudere et bene rem gerere Albinovano
> Musa rogata refer ...

haec salutatio ita a Romanorum consuetudine abhorret, ut iam Lambinus recte perspexerit eam ad verbum traductam esse ex illa notissima salutatione Graecorum *χαῖρε καὶ εὖ πρᾶττε*. Eiusdem formulae nos admonet Plauti illud (Trin. 772s): salutem ei nuntiet verbis patris: illum bene gerere et valere et vivere.

Teneamus igitur et salutationis formulam 'salve' et valedictionis 'vale' inde esse profectas, quod homines invicem se salutantes sanitatem sive valetudinem sibi optabant. Quam salutationis sententiam adeo non in oblivionem venisse, ut in respondendo quoque saepe respiceretur — quae quidem diligentia nobis in vernacula lingua ignota est — apparet ex compluribus locis poetarum comicorum: Curc. 121: P. Salve. — L. Egone salva sim, quae siti sicca sum? — Asin. 911: Arg. Mater salve. — Ast. Sat salutist. — Epid. 548s: Pe. Salva sis. — Ph. Salutem accipio mi et meis. — Epid. 558s. Pe. Ego sum, salve. — Ph. Salva sum, te quia esse salvom

sentio. — Asin. 592 s. A. Vale. — Ph. Aliquanto amplius valerem, si hic maneres.

Cur 'salve' salutandi, 'vale' valedicendi formula sit facta, vix quisquam dicere possit; sensim tantum et paullatim hunc usum inveteravisse inde concludere licet, quod ne Plauti quidem temporibus inauditum est valedicere per formulam 'salve'. Cuius rei optimum testimonium afferamus Plaut. Asin. 592 s. A. Vale. — P. Aliquanto amplius valerem, si hic maneres. — A. Salve. — P. Salvere me iubes, quoi tu abiens adfers morbum.

Accedunt alia quaedam exempla, ubi 'salve' et 'vale' quasi ad unam valedictionem coniunguntur, velut Curc. 522: L. Summane numquid nunciam me vis? — C. Vale et salve. — Capt. 744 s. Vale atque salve, etsi aliter ut dicam meres: De me ut meruisti, ita vale.

Primo a. Chr. n. saeculo formula 'salve' iam obsoleta erat, praeterquam quod Cicero epistulas suas nonnunquam formula 'vale atque salve' claudit (epist. ad fam. XVI, 4, 4; 9, 4). Posterioribus temporibus revivescit et apud scriptores aevi christiani denuo occurrit.[1])

Apud Tibullum II, 1, 1 optimi libri exhibent: 'Quisquis adest, valeat: fruges lustremus et agros', id quod viri docti sine iusta causa mutaverunt in 'quisquis adest, faveat'. Haec mutatio eo minus probanda videtur, quod epigrammatibus compluribus in parietibus Pompeianis insculptis (Buecheler, Carm. epigr. 945 sq.) hoc initium notum est: quisquis amat, valeat. Sed etsamsi haec testimonia non praesto essent, tamen illo loco nihil mutandum esse censeremus. Nam si nonnumquam per formulam 'salve' valedicitur, cur per 'vale' salutari non possit? Et posteriore aetate re vera per formulam 'vale' salutatur. Ausonius in epist. XXV, 23 (Peiper p. 271) haec dicit: Dic: te valere, dic: salvere te iubet Amicus et vicinus et Ausonius.

Idem poeta in epist. XVI, 1 (p. 239 — Peiper) coniungit formulas 'ave' et 'salve' hoc modo: Perge, o libelle, Sirmium Et dic ero meo ac tuo: Have atque salve plurimum. Hoc

---

[1]) Cf. Babl., l. l. p. 28.

'*plurimum*', quod ab Ausonio salutationi additur, etiam aliis locis occurrit (Plaut. Most. 717 — Ter. Adelph. 460). Hanc vocem praecipue 'epistulis ad familiarissimus datis' ascribi docet Jo. Babl. l. l. p. 8. Praeterea inveniuntur '*multum*' (Plaut. Poen. 1050; Rud. 416 — Ter. Hec. 82) et '*bene*' (Plaut. Capt. 138; Most. 568). Dicitur etiam '*plurima salute te impertio*' (Ter. Eun. 270 s.), quod nobis in mentem vocat illam formulam epistularum: A. salutem plurimam dicit B.[1]

Etiam iusiurandum adicitur formulis salutandi: *mehercule, mecastor, ecastor, edepol* (Plaut. Bacch. 182; Cas. 171; Poen. 1039; Trin. 49; Truc. 503 — Ter. Hec. 83). Quo de usu adnotat Donat. ad Ter. Hec. I, 2, 8: Olim salutantes addebant ius iurandum, ut hoc sedulo facere viderentur.

Quae formulae salutandi in titulis sepulcralibus usurpentur, fusius exponere non licet, quia cotidiani sermonis formulae appellari non possunt. Tamen hoc loco id admonere licet formulam 'salve' in titulis sepulcralibus rarissime occurrere. Cur hoc fiat, facile est dictu. Cum tituli plerumque posterioris aetatis sint, formula 'salve' iam secundo a. Chr. n. saeculo paullatim ex usu evanuit et — quod iam supra ostendimus — Ciceronis temporibus fere obsoleta fuit.

Nunc ad eas salutandi formulas accedamus, quae non tam significatione quam usu a formula principali 'salve' differunt.

Persaepe occurrunt *salvus (salva) sis, salvi (salvae) sitis* (Plaut. Bacch. 456; 536; Epid. 548; Mil. 902; Most. 718; Poen. 330; 751; 858; Rud. 103; Stich. 316; Truc. 123; 358 — Ter. Andr. 802; 906; Adelph. 890). Haud scio an haec formula paullo sollemnior sit quam 'salve', praesertim si, ut Aulul. 182, hoc modo amplificatur: *salvos atque fortunatus* semper sies.

Aliae formulae sine dubio sollemnes sunt: iam plenior imperativi forma '*salveto*', quam non raro invenimus (Plaut. Asin. 297; Curc. 235; Merc. 284; Pers. 789; Rud. 103; 416) gravior videtur simplici 'salve'. Quid quod reliquae: '*te*

[1]) 'salutem dicere' et 'salutem mittere' sermonis epistularis sunt. 'Salutem mittere' praecipue apud Ovidium invenitur: 'salutem dicere' iam apud Plaut. Bacch. 734; Pers. 501. Quibus formulis opponi potest formula 'salvere iubere', quam etsi ab epistulis non alienam, tamen sermonis cotidiani propriam esse recte suspicatur Babl. l. l. p. 12.

saluto' (Plaut. Amph. 676; Bacch. 243; Cist. 723; Mil. 900; Poen. 621; Pseud. 455; Truc. 515) — '*iubeo te salvere*' (Plaut. Asin. 296; Cas. 969; Curc. 560; Merc. 713; Most. 568; 1128; Rud. 263; Trin. 435 s.; Truc. 577 — Ter. Adelph. 460 s.) — '*impertio te salute*' (Plaut. Epid. 126 s.; Pseud. 456 — Ter. Eun. 270) multo sollemniores videntur, quam ut inter amicos seu consanguineos usurpari possint. Eo saepius occurrunt, si servi dominos, clientes patronos salutant, ut Pseud. 455: Erum saluto primum, ut aequomst. — Si salutantes etiam modestiores videri volunt, utuntur *tertia persona verbi*, ut Bacch. 243: Servos salutat Nicobulum Chrysalus — Trin. 435 s. Erum atque servom plurimum Philto iubet salvere — Epid. 126 s. Advenientem peregre erum Stratippoclem impertit salute servos Epidicus — Ter. Eun. 270. Pluruma salute Parmenonem summum suum impertit Gnatho. — Sed eodem modo quo pluralis numerus modestiam et maiestatem demonstrare potest, ita ea salutatio, quae per tertiam personam fit, nonnunquam non modestiam, sed superbiam indicat, velut Truc. 515: Mars peregre adveniens salutat Nerienem uxorem suam.

Apud Ter. Andr. 533 legimus haec: S. Iubeo Chremetem. — C. Oh, te ipsum quaerebam. — S. Et ego te; optato advenis. — Non dubium est, quin haec salutatio 'iubeo Chremetem' per ellipsim intellegenda sit: iubeo Chremetem salvere. *Ellipsim* autem et in sermone cotidiano et in familiaribus epistulis, in quibus componendis non magna adhibebatur diligentia, saepe occurrere, cum alii ostenderunt [1], tum ipsi novis quibusdam exemplis confirmabimus: satin salve? (Plaut. Trin. 1177) — satisne salve vivis? vel 'satisne salvae res tuae sunt?' — satin recte? (Ter. Andr. 804) = satisne recte vales? — benigne (Horat. epist. I, 7, 62) — benigne facis — tam gratiast (Plaut. Men. 387; Stich. 472; Pseud. 713) = tam tibi gratias ago, quam si accepissem, quod offers.

Nonnunquam salutandi causa usurpatur illud: *Di te ament* (Plaut. Most. 717; Pers. 16), qua de formula in sequenti capite fusius disputabimus.

[1] O. Rebling, Versuch einer Charakteristik der römischen Umgangssprache. Progr. Kiel 1873, p. 18; Babl. l. l. p. 9 s.

IV. De resalutandi formulis.

Eum, qui salutatur, statim resalutare coactum esse Donatique ea de re opiniorem, quae ex adnotatione eius ad Ter. Adelph. I, 2, 1 elucet, iam supra cognovimus. Nunc, quibus formulis Romani in resalutando usi sint, exponamus.

Ac primum quidem *easdem formulas* usurpant, quae etiam salutationi inserviunt. Saepe adiciuntur '*et tu*', '*et vos*' (Plaut. Cas. 540; Mil. 1315; Most. 569; Stich. 316; Trin. 49) et fit, ut hae adiectiones propria salutandi voce intermissa ipsae salutationes fiant. Ut apud Menandr. fr. 329 hoc legimus: *A. χαῖρ', ὦ Γλυκέριον — Γ. καὶ σύ*, sic etiam apud Romanos in resalutando vox ipsa salutandi nonnunquam omittitur: Bacch. 1106: N. Philoxene salve. — P. Et tu. unde agis? — Stich. 90. S. Salve, mi pater. — A. Et vos ambae. ilico agite assidite. — Truc. 123: D. Salva sis. — A. Et tu. — D. Fer contra manum et pariter gradere. — Item invenitur: '*et nos te*', si praecessit formula 'te salutamus' (Cistell. 724). Occurrunt etiam '*bene*' (Most. 568), '*multum*' (Rud. 416) vel iusiurandum '*edepol*' (Trin. 49), prorsus omnia, quae iam in salutatione attulimus.

Sed resalutationis propria formula est: *di te ament* (Plaut. Aulul. 183; Bacch. 457; Capt. 138; Curc. 455; Most. 341; 806; 1130; Poen. 751; Rud. 1303), quam etsi iam in salutatione invenimus, tamen hoc loco iustius tractanda videtur. De hac formula idem valet, quod antea de formula 'salve' ostendimus: cum apud Plautum tam saepe occurrat, postea ex usu cotidiani evanuisse videtur. Deinde id monuerim multas huius formulae, ut ita dicam, synonyma exsistere, inter quas has frequentissimas afferre licet: *di dent quae velis* (Plaut. Epid. 6; Stich. 469; Trin. 1152), *di omnes deaeque te ament* (Poen. 858), *fortunati omnes sitis* (Poen. 623; cf. Aulul. 182 s.: salvos atque fortunatus semper sies); *di duint tibi quaecumque optes* (Trin. 435 s.). — Nonnunquam pro coniunctivo futurum ponitur, qua re efficitur, ut salutantes id quod optant etiam vehementius optare et vota sua rata esse futura sperare videantur. Quo in genere sunt: *di te amabunt* (Men. 278; Pers. 205); *dabunt di, quae velitis, vobis* (Asin. 623); *dabunt di quae exoptes* (Pers. 16).

Vix admonere necesse est eam consuetudinem deos in salutando invocandi Romanis esse communem cum aliis et antiquorum et recentiorum temporum populis. Sic Dolius apud Homerum (Odyss. *ω* 402) dominum in patriam reversum hisce verbis alloquitur: *οὖλέ τε καὶ μέγα χαῖρε· θεοὶ δέ τοι ὄλβια δοῖεν*. Et apud omnes fere gentes Germaniae meridionalis antiquitus eodem modo salutari ne pueri quidem ignorant.

V. De formulis interrogativis.

Post datam redditamque salutem de valetudine et eius, qui adest, et cognatorum amicorumque eius interrogari solet: saepe — quod iam M. Schaber[1]) vidit, 'id genus auscultatio ipsa erat salutatio'. Inter eos quae huc pertinent formulas primum obtinet locum tritissima illa ac pervagata vox: *quid agis?* Cum scriptores exemplis huius formulae abundent, satis habemus haec pauca afferre: Plaut. Asin. 296 s. L. Iubeo te salvere voce summa quoad vires valent. — L. Gymnasium flagri, salveto. — L. Quid agis, custos carceris? — Curc. 234 s: C. Salve, Palinure. — P. O scelerum caput, salveto. quid agis? C. Vivo. In Plaut. Merc. 963 pro salutatione ponitur: L. Placet principium. quid agis? quid fit? Eutyche.

Quid formula: quid agis? significet, optime ostenditur exemplo vernaculae formulae: was machst du? Permittimus enim arbitrio eius, qui interrogatur, ut interrogationem nostram aut ad actiones suas aut ad statum valetudinemque referat. Atque in salutando formula plerumque ad valetudinem referebatur; paullatim vero vim ita perdidit, ut — cuius rei Martialis epigr. II, 67 testis est — 'decies una hora' ab hominibus invicem sibi occursantibus usurpari posset. Sed non magis in sermone cotidiano quam in litteris conscribendis Romani hac formula utebantur. Testem habemus Ciceronem, testem Plinium, qui in epist. III, 20, 11 amico cuidam haec scribit: Et hercule, quo usque illa vulgaria: quid agis? ecquid commodo vales? habeant nostrae quoque litterae aliquid non humile nec sordidum nec privatis rebus inclusum.

[1]) l. l. p. 13.

Quin etiam de rebus quaeritur, quid agant. Legimus apud Plaut. Curc. 564: quid agit meum mercimonium apud te?, apud Plin. epist. I. 3. 1: quid agit Comum, tuae meaeque deliciae?, apud Plin. epist. II. 11. 25: quid arbusculae tuae, quid vineae, quid segetes agunt, quid oves delicatissimae?

Ex eo quoque videmus, quam exigua fuerit vis formulae, quod iam apud Plautum identidem hanc vocem alia interrogatio ita subsequitur, ut responsionem non exspectari pateat: Merc. 963: quid agis?, quid fit? (cf. Cic. ad fam. VII. 11. 2) — Epid. 9: quid agis? ut vales? — Idem fit in nostra formula: **wie geht's? wie steht's?**

Quodsi non dubium est, quin in iis, quae attuli, exemplis tantum de valetudine, non de actionibus interrogetur, eo minus negari potest permulta alia exempla praesto esse, quibus, cum de actionibus, non de statu hominis quaeratur, certa atque accurata responsio exspectatur. Hoc apud Hor. epist. I. 3. 15 fieri iam Adolphus Kiessling perspexit, qui eum ad locum haec adnotavit: quid mihi Celsus agit? erkundigt sich nicht nach seinem Befinden, sondern nach seinem Tun und Lassen.

Ut eiusmodi interrogationes ab altero genere evidenter distinguerent, nonnumquam homines interrogantes adverbium adiciebant, ut 'hic' (Plaut. Epid. 345; Truc. 896 — Cic. epist. ad Att. V. 15. 2), 'hodie' (Plin. epist. I. 9. 1), 'istic' (Cic. ad fam. XIV. 14. 2). Quod si fiebat, nemo dubitare potuit, utrum de statu ac valetudine an de actionibus interrogaretur.

Cum 'quid agis?' nostrae formulae 'was machst Du?' respondere dixerimus, alia frequentissima formula: *quid agitur?* idem declarat quod nostrum: wie geht es? Huius enim formulae sententia ita non ambigua est, ut nihil nisi de statu ac valetudine interrogetur atque respondeatur. Formula post illam alteram orta videtur. Nam primum quidem, cum iam apud Terentium dominatum teneat, in Plauti comoediis frequentia ab altera longe superatur;[1]) deinde apud hunc poetam sunt loci, qui demonstrant eum modum loquendi Romanis eius aetatis novum et paene inauditum esse visum. Scriptum videmus in Pseud. 454: S. Salve, quid agitur? Statur hic ad

[1]) Cf. Th. L. L. I. 1380.

hunc modum. — Pers. 17. S. Quid agitur? — F. Vivitur. — imprimis autem hic locus notatu dignus videtur: Pers. 309. T. Quid agitur, Sagaristio, ut valetur? — Ea 'statur' et 'viditur' haud scio an pro iocis haberi possint. Illud 'valetur' autem omni mente et ratione carere quis est qui neget? Mea quidem sententia sic intellegendum est, poetam, qui illa nova forma 'quid agitur?' nondum assuevisset, vocem per aliam, quae non minus barbara videretur, illudere voluisse. Quod si ita est, si re vera illud 'quid agitur?' loco antiquioris formulae 'quid agis?' in usum venit, magis apparent illae facetiae 'statur' et 'vivitur'. Nam fere incredibile videtur locutionem quandam, quae in usu cotidiano esset, Plauto iocularem videri potuisse.

Aliae formulae, quibus salutatione facta de statu ac valetudine interrogatur, hae sunt: *quid fit?* (Plaut. Bacch. 626; 775; 979; Epid. 396; Merc. 285; 366; 963; Rud. 1052; 1303 — Ter. Adelph. 266; 768; 883) et *'ut vales?'* (Plaut. Epid. 9; Most. 718; Pers. 204; Rud. 1304; Truc. 577 — Ter. Heaut. 406). Formulae idem quod praecedentes significant. 'Ut vales?' medicos, si homines aegrotos auscultabant, interrogare consuevisse, elucet e Plaut. Rud. 1304: L. Ut vales? — G. Num medicus quaeso es?

Ad has frequentissimas interrogandi formulas multae aliae accedunt, quae quamquam rarius apud scriptores occurrunt, tamen pro formulis habendae sunt: *satin salve?* (Plaut. Trin. 1177; Ter. Eun. 978); *salvene?* (Plaut. Stich. 10); *satin recte?* (Ter. Andr. 804, cf. Horat. sat. II, 3, 162: recte est igitur surgetque?) *rectene omnia?* (Plin. epist. III, 17, 1); *ecquid omnia in tua* (scil. domo) *recte?* (Plin. epist. VI, 2, 10); *satin omnia ex sententia?* (Plaut. Pers. 18 — Ter. Phorm. 256); *ain tu te valere?* (Plaut. Aulul. 186); *ecquid commodo vales?* (Plin. epist. III, 20, 11); *rectene atque ut vis vales?* (Plaut. Aulul. 183); *quo pacto rem geris?* (Hor. epist. I, 8, 13).

Quae formulae non omnes facile intelleguntur. Maiores difficultates praebent 'satin salve?' et 'salvene?' Quaeritur enim, utrum 'salve' pro adiectivo ('salvae') an pro adverbio habendum sit. Donatus adverbium esse affirmavit; adnotat enim ad Ter. Eun. V, 5, 8: 'salve' integre, recte, commode.

Plautus in Trinummo (1177): 'benevolens tuus atque amicus — satin salve? dic mihi'. Nunc adverbium est producta e littera. Sallustius (Hist. I fr. 34 Maurenbr.) 'inde ortus sermo percunctantibus utrimque 'satin salve'? quam grati ducibus suis, quantis familiaribus copiis agerent.' — Sunt tamen, qui pro 'satin salve?' scribere malint 'satin salvae?' Subintellegunt igitur 'res sunt' et proferunt testimonium Livii, apud quem (III, 26) haec legimus: 'rogitans, satisne salva essent omnia, togam propere e tunica proferre uxorem Raciliam iubet'. Mihi quidem haud ita verisimile videtur ex 'satin salve res tuae sunt?' per ellipsim 'satin salvae?' esse factum: nam pluralis numerus generis feminini sine substantivo vix recte intellegi potest et multo maiorem probabilitatis speciem habet 'salve' adverbium esse, cuius verbum 'agis, vivis, es' facile subintellegitur.

Etiam alia formula 'ecquid commodo vales?' (Plin. epist. III, 20, 11) interpretationem poscit. Brevitas enim, quae omnium eiusmodi formularum propria est, huius quoque sententiam obscuravit. Aliis enim locis semper additur, cuius commodo aliquid fit, ut: quod tuo commodo fiat (Cic. ad Att. XIV, 16, 4) vel: quod commodo tuo facere poteris (Cic. ad Att. I, 4, 1). Itaque in nostra formula: ecquid commodo vales? subintellegendum videtur: tuo.

Praeter eas quas attulimus formulas permultae aliae locutiones inveniuntur, de quibus dubitari potest, an pro formulis habendae sint. Id certe iis cum ceteris commune est, quod saepe in salutatione et pro salutatione usurpantur. Haec satis habeo exempla afferre: ut te oblectas? (Cic. ad Quint. fr. II, 3, 7) — 'unde venis?' et 'quo tendis?' (Hor. sat. I, 9, 63; Iuven. sat. I, 3, 192) — quo te agis? (Plaut. Amph. 450; Mil. 863; Most. 563) — unde te agis? (Plaut. Bacch. 1106; Most. 342; Pers. 482) — unde is? quid fers? quid festinas? (Plaut. Stich. 319) quid rerum geris? (Plaut. Aul. 117) — quid novi? (Petron. sat. 8) — num quidnam novi? (Cic. ad fam. XI, 27, 1).

Nonnumquam duas vel tres formulas quasi ad unam interrogationem coniungi iam supra in alia occasione admonuimus. Nunc licet huius usus exempla afferre: quid agis? ut vales?

(Plaut. Epid. 9; Pers. 204; Truc. 577) — quid agitur? ut valetur? (Pers. 309) — quid, agis? quid fit? (Plaut. Merc. 284; 963 — Cic. ad fam. VII, 11, 2) — quid fit? quid agitur? (Ter. Adelph. 883).

Nunc — quia ad formulas plerumque formulis responderi consentaneum est — pauca de *frequentissimis responsionibus* dicenda videntur.

Qui bene agunt, sed sorte sua non ab omni parte contenti sunt, talia respondent: *vivo* (Plaut. Curc. 235) — *vivitur* (Plaut. Pers. 17 — Cic. ad fam. II, 15, 2) — '*sustentari*' vel '*sustentatum est sedulo*' (Plaut. Stich. 467; 586) — Alii, qui magis contenti sunt, haec fere dicunt: *valeo* (Plaut. Truc. 126; 578) — *valeo et valui rectius* (Plaut. Trin. 50). Qui de aliis, qui bene agunt, interrogantur, sic respondent: *vivunt et valent* (Plaut. Trin. 1073). Apud Horatium bis invenimus responsionem: *suaviter* (Horat. sat. I, 9, 5; epist. I, 8, 4), quae Plauti Terentique temporibus nondum in usu videtur fuisse; adhiberi potest Petronii illud (sat. 75): vos rogo, amici, ut vobis suaviter sit.

E responsionibus eorum, qui male agunt, vix quidquam formulae speciem praebet. Ecce nonnulla exempla: haud probe (Plaut. Pers. 23) — quod miserrumus (Plaut. Merc. 284) — quod famelicus (Plaut. Stich. 575) — haud perbene a pecunia (Plaut. Aulul. 186). Aliis locis pluribus verbis respondetur, ut Plaut. Epid. 129: a morbo valui, ab animo aeger fui — Pers. 18: Si eveniunt, quae exopto, satis — Ter. Andr. 805: sic, 'ut quimus', aiunt, quando 'ut volumus' non licet.

Restat, ut de una responsione, quam a multis male intellegi animadvertimus, paullo diligentius disputemus: '*recte*'. Non dubito, quin nemo huius vocis sententiam perperam interpretatus esset, nisi Donatus ad Ter. Hec. III, 2, 20 haec adnotasset: 'recte' dicimus, cum sine iniuria interrogantis aliquid reticemus. Alii 'recte' sic accipiunt: nihil est mali. — Utcumque res se habet, neque prima neque secunda interpretatio Donati valet de eo 'recte', quod in salutatione post interrogandi formulam invenimus. Contra pertinent ad id genus, quod in Ter. Hec. III, 2, 20 ante oculos habemus. Hoc loco re vera aliquid reticetur: attribuendum est igitur hoc 'recte' ei

generi formularum, quod antiqui grammatici voce *ἀστεϊσμοί* significaverunt. Examinemus in alio exemplo, quid hoc sibi velit. Plaut. Merc 367 s. D. Unde incedis, quid festinas, gnate mi? — C. Recte pater. — D. Ita volo. — Filius igitur cum patrem celare velit, unde incedat et quid festinet, nihil certi respondet, sed 'recte' dicit. Pater dissimulat se hunc *ἀστεϊσμόν* perspicere et 'Ita' inquit 'volo', id est: volo tibi aliquid recti — seu boni — in animo esse. — Alia exempla inveniuntur Ter. Eun. 341: rogo numquid velit. 'Recte' inquit, abeo. — Ter. Phorm. 797 s.: Quor nolles, Chremes? — Iam recte.

Sed ad illud 'recte', quod in salutatione formulis interrogativis respondet, minime pertinet Donati interpretatio. Immo vero nihil aliud significat quam 'bene', quod multi loci demonstrant (Ter. Andr. 804; Cic. ad Att. I, 7; ad fam. IX, 9, 1; ad Quint. fr. III, 2, 3 — Horat. sat. II, 3, 162 — Plin. epist. III, 17, 1; VI, 2, 10), optime autem omnium Horat. epist. I, 8, 13 s.: Post haec ut valeat, quo posto rem gerat et se, Ut placeat inveni, percontare, atque cohorti. Si dicet 'recte', primum gaudere ...

VI. De formulis, quibus cognati vel amici ex itinere reversi salutantur.

Nemo mirabitur, quod amici vel cognati, qui diu a patria remoti erant, in reditu diligentius salutantur; id vero investigatione dignum videtur, num eius quoque generis salutationum propriae formulae apud Romanos sint.

E magna copia exemplorum licet haec pauca afferre: Plaut. Epid. 6 sq. T. Salve. — E. Di dent quae velis. Venire salvom gaudeo. — T. Quid ceterum? E. Quod eo adsolet: cena tibi dabitur. — T. Spondeo. — E. Quid? — T. Me acceptturum, si dabis. — E. Quid tu agis, ut vales? — Stich. 583 sq. H. O sperate Pamphile, o spes mea, O mea vita, o mea voluptas, salve: salvom gaudeo Peregre te in patriam rediisse. — P. Salvo salve, Gelasime. — H. Valuistin bene? — P. Sustentatum est sedulo. — H. Edepol gaudeo. Edepol ne ego nunc mihi medimnum mille esse argenti velim.

— E. Quid eo tibi opus est? — G. Hunc hercle ad cenam ut vocem, te non vocem.

Videmus eum, qui amico domum revertenti occurrit, gaudium suum his verbis declarare: '*venire salvom gaudeo*' vel '*salvom gaudeo peregre te in patriam rediisse*'. Haec et similia in ceteris exemplis occurrunt: *salvom te advenire gaudeo* (Bacch. 456; Curc. 306 s.); *salvom quom peregre advenis* . . . (Bacch. 535); *salvom te advenisse gaudeo* (Most. 448); *salvom te advenisse peregre gaudeo* (Most. 805); *salvos quom advenis peregre gaudeo* (Most. 1128 s.); *quoniam salvos advenis* (Stich. 471); *gaudeo venisse salvom* (Ter. Hec. 353);[1] *venire salvom volup est* (Ter. Phorm. 610);[1] *bene factum te advenisse atque adeo, quod maxumum est, salvom atque validum* (Ter. Hec. 456).

Sine dubio nonnulla exempla — imprimis id quod ultimo loco attulimus — demonstrant gaudium eius, qui his formulis salutat, nonnunquam verum atque sincerum fuisse. Id autem raro fit. Plerumque eiusmodi salutationes, quae non tam benevolentiam quam urbanitatem indicant, non minus frigide pronuntiari quam excipi solent. Nam fit, ut is, qui hoc modo salutatur, sermonem alterius incidat, quasi iam praenosceret, quae verba ille facturus esset. Legimus in Terent. Phorm. 254 s.: D. Salve; sed ubi est Antipho? — P. Salvom venire . . . D. Credo; hoc responde mi . . . Epid. 128: E. Salvom huc advenisse . . . S. Tam tibi istuc credo quam mihi. — Truc. 504: A. Salvom . . . S. Scio; sed perperitne, obsecro, Phronesium? — Trin. 1073: C. Salve, Stasime. — S. Salvom te . . . C. Scio et credo tibi.

Sed — ut iam diximus — non semper oratio his vocibus 'scio' et 'credo' interrumpitur; immo vero gaudio declarato quaerere solent de statu et valetudine eius, qui domum rediit. Tamen id quoque plerumque non iis formulis fit, quae in cotidianis salutationibus usurpantur; sed, cum illae formulae: 'quid agis? quid agitur? quid fit? ut vales?' de praesenti valetudine quaerant, hae nostrae id magis interrogant, quomodo is, qui salutatur, in itinere valuerit. Quo in genere

[1] De pronomine personali apud infinitivum omisso cf. P. Barth, De infinitivi apud scaenicos latinos usu, Lips. 1881, p. 34 s.

sunt: *valuistin?* (Plaut. Curc. 16; Trin. 50); *valuistin usque?* (Amph. 679; Stich. 467); *usquin valuisti?* (Most. 449); *benene usque valuisti?* (Epid. 129; cf. Bacch. 248: benene usque valuit?) — Praeterea apud Plautum occurrit formula '*benene ambulatum est?*' (Truc. 369), quae optime consentit cum formulis, quae in valedicendo nonnunquam usurpantur: 'bene ambula' (Asin. 108; Cas. 526; Mil. 936; Most. 853) vel 'bene ambulato' (Capt. 452; Epid. 377; Merc. 327; Pers. 50).

Sequi solet invitatio ad cenam. Nam est mos firmus et constitutus apud Romanos, ut is, qui amicum vel cognatum domum reversum primum salutat, statim eum ad cenam vocet. Quibus formulis hoc fiat, in tertio huius disputationis capite exponendum erit.

Pars secunda.

De valedicendi formulis.

Ut salutationem in tres partes dividi vidimus, ita etiam valedictio tribus partibus consistit. Primum is, qui colloquendi finem facere vult, alteri id significat per interrogationem, numquid aliud velit. Hoc signo dato quasi ex composito discessio fit: qui interrogatur valedicit, alter respondet. Facile quispiam dicat, hanc valedictionem — imprimis interrogationem 'numquid aliud vis?' — duram atque inhumanam videri; sed exempla demonstrant hanc fuisse formam usitatam valedictionis Romanae, quae ne tum quidem offensa est, si quis amici visendi causa alienam domum venerat. Itaque valedicendi formulae ita mihi optime pertractari videntur, ut primum de formula 'numquid vis?', deinde de propriis valedicendi formulis disputetur.

I. De formula 'numquid vis?'

Donatus ad Terent. Adelph. III, 3, 78 haec adnotat: mentem vobis meliorem dari πρὸς τὸ numquid vis? respondet agresti veritate: nam respondendum erat 'recte' aut 'valeas'. — Et idem Donatus ad Terent. Eun. II, 3, 50: 'rogo numquid velit' hoc est: significo me abire; nam abituri, ne id dure facerent, 'numquid vis?' dicebant his, quibuscum constitissent.

Donatus igitur primum recte admonet eam responsionem, quae in Terent. Adelph. 432 datur, a sententia interrogationis

abhorrere. Recte quidem: nam de formula 'numquid vis?' idem valet, quod antea de aliis formulis sermonis cotidiani ostendimus. Nolunt eius modi interrogationes ad verbum accipi. Si quis interrogat 'quid agis?', plerumque non de actionibus, sed de statu et valetudine responderi vult, itemque is, qui 'numquid vis?' interrogat, optata enumerari non exspectat.

Itaque facile concedimus Donato illam interrogationem plerumque nihil nisi *σύμβολον* fuisse, quo abituri voluntatem suam indicare volebant. Negare non possumus hunc morem nobis durum atque inhumanum videri; sed si nobiscum reputabimus iis, qui dignitate vel nobilitate ceteros superant, omnibus temporibus licentiam dimittendi esse datam, Romanis haud ita vitio vertemus, quod omnibus hominibus concesserunt, ut homines, qui molesti essent, hac interrogatione submoverent. Quam ab iis, qui interrogabantur, neutiquam in malam partem esse acceptam, ostendit Horat. sat. I, 9, 6 s. Poeta hominem quendam, qui in Via Appia eum alloquitur, submovere conatur, cum eum, num quid velit, interrogat; sed tantum abest, ut ille iniuriam sibi factam putet, ut aures Horatii blandissimis verbis onerare non desinat.

Sed ille 'quidam' Horatii sine dubio non exemplum urbanitatis est, quae veterum Romanorum propria erat. Homines eruditi atque politi, qui sic interrogabantur, statim valedicere solebant. Itaque Donatus dicit illo loco respondendum fuisse 'recte' aut 'valeas'.

Hoc '*recte*' *ἀστεϊσμόν* esse pro 'nihil' luce clarius est: 'nihil volo' subintellegendum videtur. Donatus ad locum nostrum (Terent. Eun. II, 3, 51) hoc adnotat: 'recte' inquit pro eo, quod est 'nihil'. — Alius *ἀστεϊσμός*, qui formulam 'numquid vis?' nonnunquam subsequitur, idem declarat: '*bene sit tibi*' (Plaut. Pers. 735; Poen. 912 — Ter. Phorm. 151). Nam de hac quoque formula Donatus ad Ter. Phorm. I, 2, 101 hoc dicit: ut bene sit tibi: *ἀστεϊσμός* pro nihil.

Homines igitur, qui interrogationem: numquid vis? recte percipiunt, aut se quidquam velle negant aut — quod saepius fit — confestim valedicunt.

Quantopere Romani hanc vocem pro valedicendi formula *κατ' ἐξοχήν* habuerint, e compluribus locis apparet. Nam ut

invenimus a Martiali poeta salutationem matutinam vel 'ave matutinum' vel 'ave potentiorum' vocari. sic apud Terent. Eun. 341 hoc legimus:

Dum haec dicit abiit hora. *Rogo, numquid velit.* — 'Recte' inquit. Abeo.

et apud Ciceronem in epist. ad. Att. VI. 3. 6:

Is me nec proficiscentem Apameam prosecutus est nec, cum postea in castra venisset atque inde discederet, *numquid vellem rogarit* et fuit aperte mihi nescio quare non amicus.

Utroque loco illud 'rogare numquid velit', nihil aliud significat quam 'valedicere'.

Sententia formulae elaborata restat, ut ostendamus, quantopere interrogatio faciem suam mutare possit. Enumeremus igitur omnes species, quas apud scriptores invenimus.

numquid vis? (Plaut. Amph. 542; 544; 970; Aulul. 175; Bacch. 604; Curc. 516; 525; Men. 328; 548; Merc. 325; Mil. 1085; Pseud. 665; Trin. 192; Truc. 883 — Terent. Eun. 341; Hec. 272; Adelph. 247; 432 — Cic. epist. ad Att. VI. 3. 6 — Horat. sat. I. 9. 6 — Petron. sat. 87).
numquid me vis? (Plaut. Aulul. 263; Cist. 117; 119; Curc. 522 — Terent. Phorm. 458).
numquid me? (Plaut. Poen. 801).
numquid aliud? (Plaut. Bacch. 757; Capt. 718).
numquid me aliud? (Terent. Eun. 363).
numquid vis aliud? (Terent. Eun. 191).
numquid aliud me vis? (Plaut. Mil. 575 — Terent. Phorm. 151).
num quippiam aliud me vis? (Plaut. Pers. 735; Truc. 432).
numquid ceterum voltis? (Plaut. Pers. 708).
numquid ceterum me voltis? (Plaut. Pers. 692).
numquid vis quin abeam? (Terent. Adelph. 247).
nisi quid vis (Plaut. Asin. 108; Poen. 190; Rud. 103).
nisi quid aliud vis (Plaut. Mil. 185).
numquid aliud imperas? (Terent. Eun. 213).
numquid aliud me morare? (Plaut. Poen. 911).

nisi quippiam remorare me (Plaut. Cas. 711).
numquid est, quod opera mea vobis opus sit? (Terent. Phorm. 563).
numquid prius quam abeo me rogaturus es? (Plaut. Trin. 198).

Haec ultima forma 'numquid prius quam abeo me rogaturus es?' omnia ea pronuntiat, quae a simplici formula 'numquid vis?' reticentur. Ceterum formulae ipsae se interpretantur. Nam ille duplex accusativus, qui in plurimis occurrit, idem est, quem multa verba rogandi et postulandi exigunt. Velut apud verbum 'velle' duplex accusativus — personae et rei — invenitur in Caes. bell. Gall. I, 34, 3: si quid ille se velit, illum ad se venire oportere.[1])

II. De propriis valedicendi formulis.

Inter proprias valedicendi formulas primo loco nominanda est '*vale*'. Facere non potuimus, quin iam supra ad formulam 'salve' explicandam hanc quoque adhiberemus. Invenimus enim salutationi et valedictioni Romanorum id esse commune, ut sanitatis sive valetudinis vota contineant. Quo factum est, ut Romani nonnunquam salutandi causa voce 'vale', in valedicendo voce 'salve' uterentur aut ambas voces quasi in unam seu salutandi seu valedicendi formulam coniungerent.

Ultima syllaba longa est; tantummodo apud Vergil. Eclog. III, 79 et apud Ovid. Metamorph. III, 501 corripitur.

Praeter imperativum 'vale' coniunctivum '*valeas*' invenimus (Plaut. Cas. 217; Pers. 224; Poen. 911; Stich. 482 — Horat. sat. II, 6, 116). Haec valedictio cum praecedenti interrogatione 'numquid vis?' per coniunctionem 'ut' coniungi potest (Plaut. Cist. 120). Formula 'fac valeas', quae in epistulis saepe occurrit,[2]) a sermone cotidiano abhorrere videtur. Etiam indicativus futuri 'valebis', qui in epistulis saepe et imperativi et coniunctivi vice fungitur,[3]) a cotidiano sermone alienus est.

[1]) Cf. etiam Draeger, Histor. Syntax d. lat. Sprache I, 373.
[2]) Babl., l. l. p. 31.
[3]) Babl., l. l. p. 30

Contra et in epistulis[1]) et in sermone cotidiano occurrunt adverbia, quae valedictionem etiam humaniorem atque politiorem faciunt, imprimis '*multum*' (Plaut. Poen. 1368; Stich. 496) et '*bene*' (Plaut. Amph. 499; Asin. 606; Capt. 452; Cist. 113; 197; Curc. 203; 516; Merc. 327; 496; 1025; Mil. 1340; Pers. 858; Poen. 568; 1358; Stich. 143; 397; Truc. 751; 881; 968 Terent. Heaut. 167; Hec. 197). — Pro formula 'bene vale', quam maxime pervulgatam fuisse magnus numerus exemplorum demonstrat,[2]) Therapontigonus in Plaut. Curc. 589 dicit 'male vale', et in Plaut. Trin. 996 valedicitur his verbis 'male vive et vale'.

Formula '*vive et vale*' etiam aliis locis occurrit (Plaut. Mil. 1340; — Horat. sat. II, 5, 110; epist. I, 6, 67) Allitteratio non minus conspicua est quam in aliis formulis, quae praecipue in finibus prologorum occurrunt.[3])

His valedicendi formulis opponi potest aliud genus, quo Romani abituris precantur, ut bene conficiant iter et domum redeant. Id fieri solet his formulis: *bene ambula* (Plaut. Asin. 108; Cas. 526; Mil. 396; Most. 853, cf. Vulgat. Tob. V, 21: *bene ambuletis* = *εὐοδωθείητε*), *bene ambulato* (Plaut. Capt. 452; Epid. 377; Merc. 327; Pers. 50), *bene ambula et redambula* (Plaut. Capt. 900). Revocant hac formulae in mentem illud 'benene ambulatum est?' de quo supra in salutandi formulis disputavimus. In Plaut. Mil. 936 cum formula 'bene ambula' coniuncta sunt haec verba: *bene rem geras*. Haec quisquis formulam esse existimat, testimonia proferre potest primum quidem illud *χαίρειν καὶ εὖ πράττειν* Graecorum,[4]) deinde nonnullos locos poetarum Romanorum, qui Graecos aperte imitati sunt.[5])

[1]) Babl., l. l. p. 29.

[2]) In epistularum sermonem hanc formulam non ante Ciceronis tempora invasisse Jo. Babl., l. l. p. 29 exemplis docet.

[3]) Plaut. Cas. 86 s. *valete*, bene rem gerite et *vincite virtute vera*.

[4]) Platon. epist. 3: *Πλάτων Διονυσίῳ χαίρειν ἐπιστέλλων ἆρ' ὀρθῶς ἂν τυγχάνοιμι τῆς βελτίστης προσρήσεως; ἢ μᾶλλον κατὰ τὴν ἐμὴν συνήθειαν γράφων εὖ πράττειν ὥσπερ εἴωθα ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς τοὺς φίλους προσαγορεύειν.*

[5]) Plaut. Aulul. 117: rogitant me, ut valeam, quid agam, quid rerum geram — Trin. 773: salutem ei nuntiet verbis patris: Illum bene gerere

Denique commemoraverim illud 'ave', quod in epistulis nonnunquam valedicendi causa usurpatur,[1] a sermone cotidiano alienum esse. Contra persaepe in titulis sepulcralibus legitur; hoc autem loco non valedictio est, sed pro salutatione praetereuntium habendum videtur.[2]

rem et valere et vivere — Horat. epist. I, 8, 1: Celso gaudere et bene rem gerere Albinovano Musa rogata refer — Horat. epist. I, 8, 13: post haec ut valeat, quo pacto rem gerat et se . . .

[1]) Babl., l. l. p. 34.

[2]) Th. L. L. II, 1301 s.

Pars tertia.

De formulis quibusdam urbanis.

Hoc nomine 'formularum urbanarum' complectimur eas formulas, quae maxime sermonis cotidiani propriae sunt. Quarum omnium ea est ratio, ut indicent hominem, qui eas pronuntiat, honestis parentibus natum et optimis moribus institutum esse. Multis occasionibus adhiberi possunt, praecipue a rogantibus invitantibus gratias agentibus usurpantur. Multa enim apud Romanos sunt genera rogandi; quorum ipsis formulis color definitur. Quo de genere primum disputabimus; deinde studium ad eas formulas conferre in animo est, quae praecipue in gratiis agendis usurpantur.

I. De formulis praecipue in rogando et invitando usurpatis.

Frequentia omnibus formulis praestant notissimae illae '*sis*', '*sultis*', '*sodes*'. Formulae 'sis' et 'sultis' nisi apud priscos Latinos vix inveniuntur. Identidem exstant apud Plautum Terentiumque; sed Ennium quoque his formulis usum esse ostendit Festus p. 510, 12: sultis — 'si vultis' significat composito vocabulo ita ut alia sunt: sodes — 'si audes', sis — 'si vis'. Ennius: pandite sultis genas et corde relinquite somnum (Vahlen fr. 532). — Atque Cicero etsi vocem 'sis' ipse usurpavit (Cic. pro S. Rosc. Amer. § 48; pro Mil. § 60), tamen alio loco (Orator § 154) docet iam multo ante sua tempora formulam ex usu cotidiano evanuisse. Haec enim dicit de

priscis illis poetis atque oratoribus: Lubenter etiam copulando verba iungebant, ut 'sodes' pro 'si audes', 'sis' pro 'si vis'. — Sed interest aliquid inter 'sis' et 'sodes'. Nam cum illius formulae post Plautum atque Terentium exempla afferri vix possint, altera per totam Latinitatem non interiit.

Sed etiam aliis rebus differunt. Formula 'sodes' ab initio magis urbana videbatur quam 'sis' et 'sultis'. Res enim ita se habet: 'sis' omnibus hortationibus adici potest. Non solum imperio leniendo ponitur,[1]) sed etiam severe imperantis est et stomachantis. Velut invenimus Plaut. Asin. 44: Cave sis malam rem, et Terent. Eun. 799: 'Cave sis; nescio cui maledicas nunc viro' et multa similia. — Formula 'sodes' autem semper habet vim blande interrogandi et hortandi, quod omnia exempla demonstrant.

Aliae formulae, quibus vel hortationes leniuntur vel preces amplificantur, hac sunt:

si potes (Lucil. XXIX, 54; Petron. 129);
si quo pacto postes (Cic. ad Att. I, 12, 2);
si poteris (Cic. ad Att. XIII, 11, 2);
cum poteris (Cic. ad Att. XIII, 26);
ut poteris (Cic. ad Att. XII, 51, 1);
si placet (Petron. 127);
si lubet (Plaut. Pers. 791);
cum libuerit (Petron. 127; cf. Plaut. Truc. 361: me lubente facies — Horat. epist. I, 7, 70: ut libet);
si tibi videtur (Cic. ad Att. XV, 11, 1 — ad fam. III, 6, 5; IV, 5, 4):
si tibi videbitur (Cic. ad Att. XII, 2, 5 — ad Brut. I, 5, 2);
ut tibi videbitur (Cic. ad Att. XII, 18 A);
ut videbitur (Cic. ad Att. XIII, 13, 4);
si forte vacas (Horat. epist. II, 2, 95);
si valde vacas (Plin. epist. III, 18, 4);
si ita expedit (Cic. ad Quint, fr. II, 2, 4);

[1]) Cf. Donat. ad Ter. Eun. IV, 7, 29: quia imperativa sunt velut contumeliosa, addebant veteres 'sis', quod significat 'si vis'. — et ad Andr. I, 1, 58: 'dic' imperativum est, ideo temperavit iniuriam blandimento.

si concedes (Horat. epist. I, 7, 13);

si permiseris (Plin. epist. ad Traian. 98);

si tibi grave non erit (Cic. ad fam. XIII, 73, 2; cf. ne gravare Plaut. Stich. 186; Cic. ad fam. XI, 7, 3; Plin. epist. VIII, 18, 11);

nisi quid te distinet (Horat. epist. I, 2, 5 — cf. Horat. epist. I, 5, 27: nisi cena prior potiorque puella Sabinum detinet);

nisi te impediristi (Cic. ad Att. XIII, 47 A, 1);

nisi quid tu dissentis (Horat. sat. II, 1, 78);

si commodum (Plin. epist. III, 5, 4; cf. est commodum? Plaut. Stich. 186);

si erit commodum (Cic. ad Att. IV, 4 A, 2; XII, 41, 4);

si tuo commodo fieri possit (Cic. ad Att. II, 17, 3);

si commodo valetudinis tuae fieri possit (Cic. ad fam. XVI, 1, 1);

nisi tibi est incommodum (Plaut. Most. 807);

tuo commodo (Cic. ad Att. XIII, 48, 1);

non nisi tuo magno commodo (Cic. ad Att. XIII, 27, 1);

non nisi maximo tuo commodo (Cic. ad Quint. fr. III, 9, 9);

nec id incommodo tuo (Cic. ad Att. XII, 46, 2);

quod commodo tuo facere poteris (Cic. ad Att. I, 4, 1);

quantumque tuo commodo poteris (Cic. ad fam. XIII, 69 a);

quod tuo commodo fiat (Cic. ad Att. XIV, 16, 4); ad fam. IV, 2, 4);

quod commodo valetudinis tuae fiat (Cic. ad fam. XIV, 5, 1);

quod commodo tuo fieri possit (Cic. ad fam. III, 5, 4; XIII, 26, 2);

si forte non molestum est (Catull. 55, 1);

nisi molestum est (Plaut. Trin. 932);

quod sine molestia tua facere possis (Cic. ad fam. XIII, 35, 2);

quod sine molestia tua facere poteris (Cic. ad Att. I, 5, 7);

quod sine molestia tua fiat (Cic. ad fam. XIII, 2; 23, 2);

pace tua (Terent. Eun. 466. Donat. ad hunc locum: 'pace' aut gratia aut voluntate, et deest cum. — Petron. 2. Cic. ad fam. VII, 17, 1);

salva magnitudine tua (Plin. epist. ad Traian. 31, 1).

His omnibus formulis id commune est, ut ei, qui adhortationem vel imperium vel invitationem accipit, veniam dare

videantur, ut quasi ad suum arbitium ea de re constituat. Itaque suo iure Plinius (epist. III, 18, 4) haud mediocrem voluptatem ex eo cepit, quod, cum librum quendam amicis recitare voluisset, 'non per codicillos, non per libellos, sed 'si commodum' et 'si valde vacaret' admoniti foedissimis insuper tempestatibus' convenerunt.

Ex iis, quae attuli, exemplis duo iam Baitero — in commentario critico editionis suae — a more discedere sunt visa: '*quod commodo tuo facere poteris*' (Cic. ad Att. I, 4, 1) et '*quod sine molestia tua facere poteris*' (Cic. ad Att. I, 5, 7). Itaque cum id fere vellet: quantum tuo commodo poteris (Cic. ad fam. XIII, 69, 2), suspicatus est 'quoad' pro 'quod', quae coniectura iam ideo non probatur, quia coniunctio 'quoad' nunquam in his formulis occurrit. Aut igitur ad exemplum aliarum formularum scribendum videtur 'possis' pro 'poteris'[1]) aut — quod melius est — nihil mutandum, quia indicativum futuri in sermone cotidiano saepe coniunctivi vice fungi iam supra nobis persuasimus.[2])

Nonumquam is, qui tam humane rogatur, non minus polite *respondet*, cum alteri reddit licentiam, ut de se decernat (Horat. epist. I, 7, 19; 70: ut libet; Plin. epist. V, 1, 5: ut voles). Ac ne id quidem urbanitati semper satisfacit, quod praeter alia hoc exemplum demonstrat: Plaut. Truc. 359 s. P. Hicine hodie cenas, salvos cum advenis? — D. Promisi. — P. Ubi cenabis? — D. Ubi tu iusseris. — P. Hic, me lubente facies. — D. Edepol me magis. —

Transeamus ad aliud genus formularum, ubi is, qui aliquid rogat, alteri aut amorem suum pollicetur aut illius amorem invocat, ut sibi morem gerat. Quamquam certum est eum, qui his formulis utebatur, de amore non multum cogitasse. Velut forumla '*amabo*', quae plerumque sermoni ita inseritur, ut in constructione verborum nihil mutetur, nihil differt a tritissimis illis rogandi interrogandique vocibus '*quaeso*' et '*rogo*'. Quarum illa ipsa quoque medium in sermonem in-

[1]) Cf. Cic. ad fam. XIII, 69, 2: quod commodo tuo fieri possit — Cic. ad fam. XIII, 35, 2: quod sine molestia tua facere possis.

[2]) Cf. etiam Landgraf, Histor. Gramm. d. lat. Sprache III, 1, p. 112 ss.

seritur, haec interrogationi praeponi solet (cf. Petron. 90; 95; 126 — Martial. epigr. IX, 25, 3; Xen. 58). — Eodem igitur modo formula 'amabo' usurpatur. Vel adverbii instar occurrit (cf. Naev. fr. com. 82: cave cadas amabo; Plaut. Bacch. 100 propera amabo; Ter. Eun. 534. — Titin. com. fr. 109. Lucil. XXIX, 154; Cic. ad Att. VII, 8, 2; ad fam. XV, 17, 4; Catull 32, 1; Martial VIII, 76, 1),[1] vel pro verbo quodam rogandi usurpatur (Plaut. Cist. 104; Men. 678; Truc. 872 — Terent. Eun. 537 — Cic. ad Quint. fr. I, 4, 1).[2] Nimis subtiliter Seyffertum (stud. Plaut. p. 1) inter viros, qui feminas quive viros adloquuntur, distinxisse iam Frid. Leo (ad Plaut. Asin. 711) iure vituperavit. Id vero Seyffertus recte perspexit formulam plerumque mulierum esse.

A formula 'amabo' separari non possunt '*si me amas*', '*si nos amas*', '*si me diligis*', '*si nos diligis*'. — Imprimis formula 'si me amas' non solum in epistulis (Cic. ad Att. II, 1, 12; 4, 6 — ad fam. V, 11, 3 — ad Quint. fr. II, 1, 3 — Fronto p. 76, 13), sed etiam apud poetas comicos et satiricos saepe occurrit (Plaut. Trin. 244; — Terent. Heaut. 1031 — Horat. sat. I, 9, 38 — Petron. 98). Nonnunquam hunc in modum mutatur sive amplificatur: *si me sicut soles amas* (Cic. ad fam. V, 9, 11), *si me tantum amas, quantum certe amas* (Cic. ad fam. IX, 13, 4), *si me tantum amas, quantum profecto amas* (Cic. ad Att. II, 20, 5), *si quicquam me amas* (Cic. ad Att. V, 17, 5; Fronto p. 77, 34), *si quid unquam me amasti* (Fronto 84, 6), *si me amabis* (Cic. ad fam. II, 14). — Formula 'si me diligis' praeter Ciceronis epistulas (ad Att. IV, 12 — ad fam. XV, 19, 4; XVI, 8, 2; 13; 14, 2) vix usurpatur. Fieri potest, ut ita amplificetur: *si me diligis, si a me diligi vis* (Cic. ad fam. III, 9, 2).

Sequitur tertium genus formularum, quod eodem fere quo praecedentes voces fundamento utitur. Is enim, qui alterum aliquid rogat, persuasum habet illum nihil antiquius habere, quam ut ipsius gratiam sibi conciliet. Pollicetur igitur

[1] Huius et ceterarum eius generis formularum, quae in 'Thesauro linguae latinae' iam pertractatae sunt, satis habemus pauca exempla afferre.

[2] Cf. Plaut. Cist. 104: te amabo, ut hanc sinas; Terent. Eun 537: amabo te, ut illuc transeas, ubi illa est; Cic. ad Quint. fr I, 4, 1: amabo te, mi frater, ne . . . adsignes.

alterum sibi '*gratum*' (Cic. ad fam. IX. 25, 3; XV, 8) vel '*pergratum*' (Cic. ad fam. III, 3, 2; XII, 27) vel '*gratissimum*' (Cic. ad fam. II, 19, 2; III, 9, 2; XIII, 4, 3) *esse facturum*, eum '*nihil sibi gratius facere posse*' (Cic. ad fam. III, 6, 1; V, 5, 3; XI, 16, 3; 17, 2; XII, 29, 3), sibi '*pergratum*' (Cic. ad fam. IX, 12, 5, ad Brut. I, 8, 2) '*valde gratum*' (Cic. ad fam. III, 6, 6), '*perquam iucundum*' (Plin. epist. IV, 15, 3) '*sicut iucundissimum ita non minus gratum*' (Plin. epist. III, 8, 2) *esse futurum*, eum '*perbelle facturum*' (Cic. ad Att. IV, 4a, 1) et '*ipsum sibi obligaturum*' (Cic. ad Att. XVI, 16 P, 16 — ad fam. XIII, 18, 2) *esse*, si 'iucundissime exigenti' (Plin. epist. IX, 16, 2) obsequatur.

II. De formulis praecipue in gratiis agendis usurpatis.

Ei generi formularum, quod proxime tractavimus, accurate respondent formulae, quibus Romani in gratiis agendis saepe utuntur. Ut in rogando satis habent alteri declarare sibi officia eius grata esse futura, ita gratias agentes dicunt vel scribunt *fuisse* sibi officia eius vel '*grata*' (Cic. ad fam. II, 18, 1; III, 4, 2; 8, 9; XII, 20; 28, 2 — Mart. epigr. VII, 52 — Plin. epist. V, 3, 1; VI, 7, 2) vel '*pergrata*' (Cic. ad Att. XIV, 11, 2; — ad Quint. fr. III, 1, 12 — Plin. epist. III, 5, 1) vel '*gratissima*' (Cic. ad fam. III, 5, 2), eum '*bene*' (Plin. epist. IX, 24, 1), '*commode*' (Cic. ad Att. XI, 7, 7), '*iucunde*' (Plin. epist. IX, 2, 1), '*pro cetera reverentia*' (Plin. epist. III, 8, 1) *fecisse*.

Alio de genere formularum, quia saepe male intellegitur, paullo accuratius disputandum videtur. Dicimus formulas '*bene vocas*', '*benigne dicis*', de quibus Donatus ad Terent. Eun. I, 2, 106 adnotat 'in consuetudinem venisse, eas non indicantis, sed gratias agentis esse'. Sed exempla ipsa afferamus. Legimus apud Plaut. Stich. 486 s. S. Propino tibi salutem plenis faucibus. — E. Bene atque amice dicis. — Plaut. Stich. 563 s. 'Fiat' ille inquit adulescens. — 'Facis benigne' inquit senex. — Plaut. Truc. 668: A. Ne me morari censeas. — St. Lepide facis. — Terent. Phorm. 1051 s. N. Phormio, ut ego ecastor posthac tibi, quod potero, quae voles, Faciamque et dicam. — P. Benigne dicis. — His omnibus locis formulae

nihil aliud significant quam nostrum 'sehr freundlich, sehr gütig'.

Secus se habet res, si invitationi respondent, cf. Horat. epist. I. 7. 60—64:

'Scitari libet ex ipso, quodcumque refers: dic
Ad cenam veniat.' — Non sane credere Mena.
Mirari secum tacitus. Quid multa? — '*Benigne*'
Respondet. — '*Neget* ille mihi?' — 'Negat improbus et te
Neglegit aut horret.'

Haud dubie igitur intellegit Philippus ex ipsa voce 'benigne', invitationem suam recusari. Is qui illa Pseudo-Acronis, quae vocantur, scholia composuit, sententiam formulae non iam perspexit:[1]) nobis autem non solum comicorum loci praesto sunt, qui rem explicant, sed etiam a vernacula lingua adiuvamur. Si ipsi a quodam ad cenam vocati iterum ac saepius admonemur, ut denuo cibum et vinum sumamus, consuevimus respondere 'danke'.[2]) Nemo non intellegit nos abnuere, etsi tantum gratias agimus.

Quodsi invitanti dicimus: 'Für Deine Einladung danke ich Dir' ille nos abnuere non minus cognoscet quam Theopropides in Plaut. Most. 1129 s. C. Hic apud nos hodie cenes: sic face. — T. Callidamates, di te ament. de cena facio gratiam.

Res igitur ita se habet: Formulae ipsae quoque *ἀστεισμοί* sunt; ei generi attribuendae videntur, cuius supra exempla ('recte', 'bene sit tibi') ostendimus. Cuius generis quid proprium sit, Donat. ad Terent. Hec. III, 2, 20 his verbis dixit: 'sine iniuria interrogantis responsum reticent.' Neque enim abnuunt invitationem formulae nostrae, sed delicate ac pudenter alterum certiorem facere volunt, eos, qui invitantur, non minus

[1]) Pseudo-Acro ad Horat. epist. I. 6, 62: benigne sermo vulgaris est: bene se dicit quisque accipi cum excusat. Aliter: respondet Mena benigne eum facere, qui invitaret.

[2]) Notum est Britannos ab iis, qui abnuunt, responsionem 'thank you, no!' postulare.

gratiam habituros esse, etsi invitationem non obsequerentur.

Sic formula apud Plaut. Truc. 128 intellegenda videtur: A. Peregre quoniam advenis, cena detur. — D. Benigne dicis, bene vocas, Astaphium. — Sic manifeste apud Horat. epist. I, 7, 16 usurpatur: 'Vescere sodes.' — 'Iam satis est.' — 'At tu quantum vis tolle.' — 'Benigne.' — 'Non invisa feres pueris munuscula parvis.' — Primum igitur hospes utitur discreta illa formula 'benigne', deinde, quia alter instare non desinit, diligenter eam explicare cogitur his verbis: tam teneor dono, quam si dimittar onustus.

Optime autem ea, quae de his formulis protulimus, sententia confirmatur alio loco: Plaut. Merc. 947 s. — Charinus adulescens fingit se ab exilio domum redire. Occurrit Eutycho amico: ab eo salutatur, auscultatur, invitatur, ut in tali occasione fieri solebat. Sed satis habet poeta Charini verba reddere: amici et salutandi et interrogandi et invitandi formulae ita reticentur, ut e Charini responsis facile colligi possint. Quodsi in versu 944 legimus: Bene vocas, benigne dicis: cras apud te, nunc domi — luce clarius est huic responsioni solitam illam invitationem praecessisse. Et Charinus, etsi formula 'bene vocas, benigne dicis' utitur, non prorsus abnuit, sed amico pollicetur se postero die ei obsecuturum.

Restat, ut de duobus locis disputemus, qui maiores difficultates praebent, primum de Plaut. Curc. 561 s.: C. Therapontigone Platagidore, salve: salvos quom advenis in Epidaurum, hic hodie apud me nunquam delinges salem. — T. Bene vocas, verum locata res est — ut male sit tibi. — Hoc enim loco responsio non minus ambigua est quam invitatio. Nam illud 'nunquam delinges salem' in diversas partes interpretari possumus. Significat enim aut: 'Du wirst bei mir nie auch nur ein Krümchen Salz bekommen' aut 'Salz wirst Du bei mir gewiſs nicht bekommen, sondern etwas Besseres.' — Huic igitur ambiguitati ipse quoque Therapontigonus ambigue respondet. Aut enim illud 'locata res est' ita intellegi potest ut Stich. 172: locutast opera nunc quidem, aut coniungitur cum insequentibus verbis: ut male sit tibi — quod poeta fieri voluit. Quae cum ita sint, coniunctio 'verum' ratione non

caret. Therapontigonus primum quidem polite abnuit, quasi ambiguitatem invitationis non perspexisset, sed deinde subito ira inflammatur, ut inimico aliquid mali minetur.

Alterum locum — Plaut. Men. 387 s. — pertractare non possumus, priusquam de formula 'tam gratiast' disputaverimus. Interim satis habebimus id monuisse nihil in eo exemplo nostrae de formula 'bene vocas' sententiae contradicere. Legimus enim: E. Eamus intro, ut prandeamus. — M. Bene vocas: tam gratiast. — E. Cur igitur me tibi iussisti coquere dudum prandium. — Erotii invitationem abnui videmus; hoc tantum dicat quispiam negationem et repudiationem esse sitam in his verbis '*tam gratiast*'. Itaque nunc ad hanc formulam accedamus, cuius exempla his locis inveniuntur: Plaut. Men. 387; Stich. 472; Pseud. 713.

De significatione formulae duo viri illustrissimi diversas sententias protulerunt: P. Corssen[1]) et O. Ribbeck.[2]) Ille 'tam' pro adverbio habendum esse negat nec quidquam aliud quam 'tamen' esse putat; hic tralaticiam significationem defendere conatur et rem per ellipsim explicat.

Adverbium 'tam' cum coniunctione 'tamen' cohaerere constat.[3]) Hoc tantum quaeritur, an in formula 'tam gratiast' illa vis adversativa sit. Itaque exempla examinanda videntur: Stich. 470 s. G. Cenem illi apud te, quoniam salvos advenis? — L. Locatast opera nunc quidem: tam gratiast. — Men. 387 s. E. Eamus intro, ut prandeamus. — M. Bene vocas, tam gratiast. — E. Cur igitur me tibi iussisti coquere dudum prandium? — Pseud. 713 s. C. Quin tu, si quid opust, mi audacter imperas? — P. Tam gratiast. Bene sit tibi, Charine: nolo tibi molestos esse nos. — Nemo non concedet in primo et altero exemplo 'tam' pro coniunctione adversativa haberi posse. Nam Stich. 470 s. iocosa illa invitatio per haec verba 'locatast opera nunc quidem' aperte repudiatur. Sequitur, ut verba

---

[1]) Aussprache I^2, 248

[2]) Beitr. zur Lehre von den lat. Partikeln. Leipzig 1869. p. 28.

[3]) Festus p. 548, 3. — Ritschl, Rhein. Mus. XIV, 399; Prolegomena ad Trinummum, p. CXLII; Schweitzer, Zeitschr. für vergl. Sprachwissenschaft XIII, 311; Seyffert, Studia Plautina p. 14; Lindsay, Die latein. Sprache, übersetzt von Nohl. Leipzig 1897. p. 691.

'tam gratiast' nihil continere possint nisi gratiam, quae recusationi opponitur. Alterum exemplum, Men. 387 s., eodem modo non minus commode explicatur. Restat tertium, Pseud. 713 s. Hoc loco formula 'tam gratiast' non solum gratiam, sed etiam recusationem invitationis continet, quod verba 'nolo tibi molestos esse nos' satis demonstrant. Eam rem per ellipsim facile explicari quis est qui neget? Propria recusandi formula — 'bene vocas' vel 'locatast opera' — reticetur, quia unusquisque facile eam supplere potest.

Postea homines ellipsim in hac formula iam non sensisse non negamus. Luce clarius est eos vocem 'tam' ut semper ita in hac formula demonstrativum esse adverbium putavisse. Quod minime inauditum esse, Ladewigii[1]) et Ribbeckii[2]) scrupulos vanos esse, non modo multa vernaculae linguae analoga[3]) demonstrant, sed etiam exempla Italorum et Britannorum, qui formulis 'thank you *so* much' et '*tante* grazie' gratias agere solent.

[1]) Zeitschr. f. Altertumswissenschaft 1872. p. 1070.

[2]) l. l. p. 28.

[3]) 'Es stand in alten Zeiten ein Schloß so hoch und hehr.'

Vita.

Natus sum Joannes Preibisch Non. Sext. anni MDCCCLXXXIII Ohlaviae, in oppido Silesiae, patre Carolo, doctore philosophiae et professore regio gymnasii Ohlaviensis, quem anno superiore morte mihi ereptum esse doleo, et matre Anna, e gente Schoenfeld, quam superstitem esse valde gaudeo. Fidem profiteor evangelicam.

Primis litterarum elementis imbutus inter discipulos gymnasii Ohlavienis receptus sum. Unde testimonio maturitatis instructus anno MDCCCCII Halas Saxonum migravi studiis philologicis historicis archaeologicis operam navaturus; quae per bis sex menses hac in urbe, deinde per sex menses Monacii, tum Berolini totidem per menses, denique Halas reversus usque ad annum MDCCCCVI continuavi.

Docuerunt me viri clarissimi: Abert, Bechtel, de Bissing, Blafs †, de Christ †, Conrad, Crusius, Dittenberger †, Fries, Furtwaengler †, Goldschmidt, de Heigel, Alfr. Kirchhoff †, Lindner, de Mayr, Ed. Meyer, Riehl, Robert, D. Schaefer, Er. Schmidt, Traube †, Vahlen, Vaihinger, de Wilamowitz-Moellendorff, Wilcken, Wissowa.

Sodalis fui per quater sex menses et proseminarii et seminarii philologici Halensis, quod viri illustrissimi Blafs, Dittenberger, Wissowa moderabantur. Praeterea permiserunt viri doctissimi Lindner, Ed. Meyer, Wilcken, Furtwaengler, Robert, ut exercitationibus historicis et archaeologicis interessem.

Anno MDCCCCIV in Britannia versatus sum, ut viris illustrissimis Grenfell, Hunt, Kenyon ducibus et auctoribus in studia palaeographica incumberem.

Examine pro fac. doc. mense decembri anni MDCCCCVI Halis superato per tres menses in gymnasio publico Halensi, deinde sodalis seminarii praeceptorum factus per bis sex menses in Schola Latina Orphanotrophei Franckiani munere scholastico functus nunc in paedagogio Parthenopolitano, quod est in Monasterio Sanctae Mariae Beatae Virginis, candidatus probandus et praeceptor auxiliarius sum constitutus.